


R. P. D.

MATTHÆJO

Vilnen. Quartæ Funeralis.

Ven. 5. Martii 1751.

1 QVAMVIS impulsa virilitèr, minimè tamen euersa fuit peruetusta illa à solutione Quartæ Funeralis exemptio, qua ex amplissimo Apostolico Priuilegio perfruuntur, tum PP. Inclyti Ordinis Prædicatorum, tum cæteri omnes Regulares Ciuitatis Nouogrodensis: Quandoquidem incedentibus eisdem Prædicatoribus anno 1729. ad asportandum Cadauer Michaelis Herbatouuski, qui in eorum Ecclesia iusserat sepelliri, Ioseph Ponikuik Pa-

Parochus, violenter intorstitiis abreptis, illud non sine Populi scandalo ad suam Parochialem Ecclesiam detulit, ibique tumulauit; Deinde verò in vnum conuenientes Parochi Sæculares tam Ciuitatis prædictæ, quàm vniuersæ Diæcesis Vilnensis, quasi acie instructa, aduersus Regulares omnes ad iudiciale Forum petitionem porrexerunt super Quartæ Funeralis solutione a Regularibus omnibus facienda, quoties in eorum Ecclesiis tumularentur Cadauera illorum, qui in eis Sepulturam selegissent, iuxtà quam profectò stetit Officialis Vilnensis Sententia.

2 Verùm reuocato iudicato hoc per A.C., in possessorio primùm, deindè in petitorio, non difforme fuit Sacri Tribunalis Iudicium, vt pandit Sententia Rotalis a R.P.D. meo de Canilliac edita, duabus præeuntibus Decisionibus. Sed non adhuc acquiescentibus Parochis, nouæ Causæ cognitio cum Mihi commissa fuerit, Dubium de more subsignaui = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda* = Et in contumaciam eorumdem, quos non semel monui, Resolutio prodiit = *Sententiam Rotalem esse confirmandam*.

3 Arduam enim, exemplaremque Prouinciam assumpsisse Parochos denuò perspectum est: propterea quod cum ex amplissimis Sedis Apostolicæ Priuilegiis à solutione Quartæ Funeralis exemptione donati fuerint, tum PP. Ordinis Prædicatorum, tum cæteri Regulares Ciuitatis Nouogrodensis, totiusque Diæcesis Vilnen., vanum proindè erat contra Eos insurgere, vt ad huiusmodi solutionem adigerentur, quos Priuilegia ipsa immunes reddebant, quemadmodum agendo de PP. Ordinis Prædicatorum liquet ex Priuilegiis *S.M. Martini V.*, *Eugenii IV.*, *Sixti IV.*, *Iulii III.*, *&* *Pauli IV.* relatis per *Passerin. de stat. homin. quest.* 187. *art.* 4. *nu.* 651., *& seq.*, *& num.* 660. *tom.* 2., *Seuerol. in alleg. impress. apud Pilaia in addit. ad Iranch. de protest. considerat.* 96. *num.* 19. *Murg. disquisit. Moral. decis.* 6., & promiscuè loquendo de aliis Regularibus *Bertacch. vot. decisiu.* 101. *per tot. Rotæ decis.* 1072. *per tot. coram Coccino*, *& decis.* 179. *pariter per tot. coram Roxas*, *& decis.* 214. *coram Ratt. ferè per tot.*, *& decis.* 263. *num.* 3. *par.* 15. *rec.* Et consonant Resolutiones Sac. Congregationis Episcoporum, & Sac. Concilii Tridentini relatæ per *Samuel. de Sepult. disp.* 4. *contr. prima num.* 9., *Vrsaia discep. Eccles.* 28. *tom. primo par.* 2., *& discept.* 8. *num.* 27. *& sequ.*, *& num.* 72. *tom.* 2. *par. prima*, *Tamburrin. de iur. Abbat. tom. primo disput.* 15. *par.* 17. *num.* 8.

4 Perperàm autem in anteacta huius Causæ disceptatione præsidium quærebant Parochi, vel *à Clement. Dudum de Sepultur.* qua præscribitur, per Regulares etiam præstandam esse Quartam Funeralem Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, vel *à Concil. Trident. cap.* 13. *sess.* 25. *de reformat.* vbi Priuile-

uilegia exemptionum Regularibus elargita quoad id abrogata fuere. Quoniam semel ac Priuilegia, quibus à Summis Pontificibus præditi fuerunt Regulares, aut præmunita dignoscebantur explicita clausula eiusdem Clementinæ derogatoria, aut sub aliis generalibus amplissimis formulis per æquipollens eius continebatur derogatio, statim sequebatur ex Censura *Clement. Dudum* Regulares Vilnen. Diœcesis haud cogi posse ad huiusmodi Quartæ solutionem, vt firmant præcedentes *Decisiones R. P. D. mei Canilliac, prima scilicet 6. Iunii* 1749., *& secunda 23. Ianuarii 1750 vtrobique* §.2. Tridentina vero Synodus non omnia abstulit Regularium exemptiua Priuilegia circa Quartæ Funeralis solutionem, sed dumtaxat ea, quæ obtenta fuissent à Regularibus illis, qui per 40. annos ante Concilii publicationem Quartam hanc soluere consueuissent, & quæ elargita viderentur intrà prædictum tempus, nimirum ab annis 40. citrà *ante illius publicationem*, vt præter auctoritates adductas in prima *Decisione* §.2., firmant *Quaranta in summa Bullar. verb. Priuileg. Regular., Seuerol. d. allegat. apud Iranch. de protest. in addit. ad considerat 96. num.23., & 37.*, vbi referuntur Decisiones Sac. huius Tribunalis fauore PP. Prædicatorum editæ, & consonat *Rota decis. 214. num.6. coram Ratto, & decis.263. num. 10. par. 15. recen.* Vnde cum Priuilegia, de quibus differitur longè antè Concilium eisdem Regularibus concessa appareant, prout nunquam in discrimen extitit reuocatum, nec per Parochos doctum vnquam fuerit, Regulares istos per 40. annos ante laudatam Synodum Quartam Funeralem persoluisse, in necessarium descendit consequens, in suo robore omninò persistere eadem exemptiua Priuilegia, vt firmant præcedentes Decisiones huius Causæ vtrobique *dicto* §.2.

5 Difficultatem hanc noscentes Parochi Vilnen., vtque quadragenariam istam exactionem ostenderent, in præcedenti Instantia quatuor adduxerunt Testes formiter repetitos; verùm meritò probatio hæc reiecta tunc fuit, tum quià illorum examen peractum noscebatur coram Iudice à Regularibus recusato, tum quià ex illo euincebatur, tantùm Parochos prætensionem aliàs excitasse contra Regulares super exactione Quartæ Funeralis, non autem eruitur, istos effectiuè per id tempus ante Concilium soluere sueuisse, illosque respectiuè exegisse. Multum autem differt prætensio exigendi à vera, & reali exactione. Hac igitur non probata, iure dictum fuit, Conciliarem legem locum sibi non vindicare, vt communissimè tradunt *Samuel. de Sepult. disput.4. controu. prima num. 26., Anaclet. in Ius Canon. lib. 3. tit. 28. §. 2. num.56. in fine, Fragos. de Regimin. Reipubl. par.3. lib.5. disput.8. §.17. num.570. vers. hoc autem.*

6 Videntes tamen Parochi, quod istorum Iurium præsidio in-

auras prorsus abibat eorum ideata prætensio, arbitrati fuerunt in eisdem præcedentibus propositionibus, fundamentum quærere à quadam Epistola Pastorali edita anno 1607. à clar. mem. Cardinali Mazzieouuski Archiepiscopo Gnesnen. inserta in Prouinciali Synodo celebrata anno 1628.; Sed meritò minus habens reperta fuit hæc quoque Epistola. Nam primariò exscripta non videbatur Regularibus, sed quidem = *Archypresbiteris*, *Plebanis*, *& aliis quibuscumque curam animarum habentibus* = Vndè disposita in ea ad Regulares extendenda non erant. Rursus maioris ponderis visa non fuerunt illa alia eiusdem Epistolæ verba = *Quarta Funeralium iuxtà Sacros Canones*, *& Constitutiones Synodi*, *salua*, *& integra maneat Parochiali Defuncti Ecclesiæ*, *vbicumque tandem extrà illam electione etiam sua sepeliatur* = Quoniam posita Regularium exemptione ex Apostolico Priuilegio deriuante, eo ipso quòd Epistola Pastoralis Quartam Funeralem saluam fore præscripsit = *iuxtà Sacros Canones* = Hæc profectò verba innuere videntur, atque ità intelligenda sunt, vt præseruare voluerit exemptiones illas, tùm in corpore iuris Canonici clausas, tùm alias ex Apostolicis Constitutionibus promanantes, cum verbum *Canon* in Latiori sua significatione sumptum, contineat Constitutiones quoque Summorum Pontificum, ad firmata *in prima Decisione præcedentis Instantiæ* §.6., *& in secunda* §.4., & habetur ex præstantissima auctoritate SSmi Domini nostri fæliciter Regnantis in suo *disertissimo Tractatu de Synodo Diæcesana lib. primo cap. 3. num. 3.*

7 Cæterum si quæ, his non obstantibus, dubietas aliqua superesset, maximopere faueret Regularibus pro illorum non comprehensione in eadem Epistola, defectus voluntatis ipsius Cardinalis. Siquidem quemadmodum in ipso deerat potestas abrogandi Apostolica Priuilegia Regularium, ità dicendum omninò est, eius voluntatis non fuisse, illos includendi sub edita lege, dum à potestate voluntas semper metienda est, ad firmata per *Rotam decis.* 812. *num.* 39. *coram Molin.*, *& decis.* 30. *num.* 18. *tit. de vsur.*, *& decis.* 9. *num.* 6. *tit. de Saluian. coram Falcon.* Aliàs enim actus hic imprudens fuisset, & reprehensione dignus; Id quod minimè sentiendum est, propterea quod semper interpretatio fieri debet, ne quilibet actus censeatur imprudens, iuxtà *Text. in Leg. Quoties ff. de reb. dub.*, *Crauett. consf.* 33. *num.* 10., *& consf.* 603. *num.* 3., *Surd. consf.* 294. *num.* 28., *Menoch. de arbitr. cas.* 199. *num.* 23., *Cancer. var. resol. par.* 3. *cap.* 7. *num.* 195. *Rota decis.* 4. *num.* 7. *tit. de statut. exclus. Fæmin. coram Falconer.* Fortius quando, prout in casu, à viro prudente & præsertim à Persona Cardinalitiæ Dignitatis honore decorata, actus deprehenditur gestus, vt in puncto dixit *Rolan. consf.* 134. *num.* 10. *lib.* 4., *Surd. consf.* 203. *num.* 35.,

Menoch.

Menoch. cons. 55. num. 22., *& Rota d. decis. 4. num. 6. & 8. coram Falcon.*

8 Adstipulatur quoque evidens demonstratio apprimè ostendens, mentem tùm Cardinalis, tùm Patrum Concilii Provincialis alienam prorsùs fuisse, quid minimum statuere contrà Constitutiones Apostolicas, à solutione Quartæ Funeralis eximens Regulares; Quod enim attinet ad Cardinalis Mentem, certum est in Facto, eundem in alia Provinciali Synodo ipsomet anno 1607. celebrata, quo memoratam edidit Epistolam, præcipisse, ut Constitutiones Synodorum antecedentium colligerentur in unum, atque observarentur, adiecta tamen Limitatione = *Quæ sint consentanea, nec repugnent Sacrosancti Concilii Decretis, Sacrisque Canonibus, aut Constitutionibus Apostolicis* = Si igitur summo studio præservatas ibi voluit Dispositiones in Constitutionibus Apostolicis contentas, nullo pacto censeri potest, ipsum in prædicta Epistola, paucos post dies evulgata, voluisse contra easdem Constitutiones hanc quoque Regularium exemptionem evertere, quod nec facere potuisset. Quoverò ad Mentem Patrum Concilii Provincialis anni 1628., in quo Pastoralis Epistola ipsius Cardinalis inserta fuit, cum illi præmiserint in ea nil aliud contineri, quàm quod per Canones, & Sacrum Concilium Tridentinum Statutum reperiebatur, evidens utique est, quòd neque Concilium prædictum unquàm intellexerit, Regulares omnes indistinctè ad solutionem Quartæ Funeralis adigere, cum id indubiè fuisset, tàm contrà censuram Concilii Tridentini, quàm contrà Constitutiones Apostolicas, sicuti dixit *secunda hujus Causæ Decisio* §.6.

9 Perperam idcircò, his in facto firmiter manentibus, opponerent Parochi, enunciatam Synodum evulgatam anno 1628. à San: Mem: Urbano Octavo confirmatam fuisse, cum explicita mentione etiam Regularium, quibus injungebatur observantia Synodalium Constitutionum, eodem fermè modo, quo, præscripta extitit aliis Ecclesiasticis Sæcularibus, adeout dubium esse non videatur, quin circa solutionem Quartæ Funeralis Constitutiones prædictæ Synodales omninò afficerent & Regulares. Hæc enim difficultas eliminata quoque fuit, ex eo quòd cum in confirmatione Apostolica Urbani Octavi nulla mentio facta fuerit Privilegiorum, quibus Regulares fruebantur, propterea Apostolica Auctoritas extendi non valet ad læsionem eorumdem, sed dumtaxat verificatur circa alia, quæ ex Synodo ipsa Regulares observare tenebantur; Dum quælibet confirmatio amplissimis etiam concepta verbis, robur solummodò actui confirmato, sed illum in suis relinquit terminis absque ulla nec minima extensione, quemadmodum, ultrà auctoritates relatas, in Decisionibus præcedentibus, in *prima scilicet* §. *Absque*, & *in secunda* §. *Pro*, dixit *Rota in*

Ne-

Nepesina Præstationis Vecturarum quo ad frumentum Moliturae 7. Julii 1748. §. Irrito cor. Me.

10 Et hinc est, quod quemadmodum in Synodo Provinciali non solùm statuta fuerat Lex Quartæ Funeralis solutionem respiciens, sed alia insuper afficientia quoque Regulares, prout inter cætera, Capitulum aderat dè istis specialitèr loquens, in quo monebantur ad observantiam, *tùm Clementinæ Religiosi de Privilegiis* loquentis de administratione Sacramentorum, tùm *Sacri Concilii Tridentini*, *& Constitutionum Apostolicarum*, ità Regularium mentio in Brevi confirmatorio adjecta, intelligenda profectò erat relativè ad Synodales Dispositiones, de ipsis loquentes, non verò quo ad eversionem illorum Privilegiorum circà solutionem Quartæ Funeralis, de quibus nil actum fuerat in ipsa Synodo, sicuti ponderat *prima Decisio* §. *Nec majus*, & *secunda* §. *Eoque*. Et quamvis hujusmodi Breve generalem observantiam Constitutionum Synodalium præcipiat Regularibus cum verbis illis = *In omnibus*, *& per omnia* = Quia tamen ibi Summus Pontifex de Regularibus dumtaxàt non loquitur, sed promiscuè de Regularibus, & Sæcularibus, hinc verba prædicta distributive accipienda sunt, congrua, nimirùm congruis referendo: ità quidem ut *in omnibus*, *& per omnia* Regulares observare teneantur Constitutiones illas Synodales, quæ ipsos afficiunt, itemque ad id ipsum adigantur Sæculares; non vero quod omnia omnibus indistinctè præcepta censeantur, ut præter adductos in *secunda Decisione* §. *Sedulò*, præcipit *Text. in leg. Si negocium ff. de negoc. gest.*, *& leg. quæstionem*, *ubi Angel. Cod. de Fideicom*, *Surd. cons.* 336. *n.* 20. *Gratian. discept.* 230. *num.* 3., *Roi. decis.* 581. *num.* 33. *coram Caval.*, *& dec.* 847. *num.* 12. *cor. Ansaldo*.

11 Firmo itaque manente, quod in Constitutionibus Synodalibus nulla mentio facta videatur quo ad solutionem Quartæ Funeralis, relativè ad Regulares, quòdque illas per subsecutam confirmationem nec in minimo immutare, sive extendere voluerit Supremus Pontifex Urbanus Octavus, itaut in suo primævo robore semper permanserint Regularium exemptiones, profectò harum derogatio trahi nequaquam poterit ex illa generali, & consueta clausula, quæ in fine Literarum Apostolicarum apponi solet, nempè = *Non obstantibus quibuscumque* = Quia pro effectu prædicto, aut expressa derogatio requiritur, aut quod saltem Breve Confirmatorium utpotè posterius relativè ad Privilegia prædicta, cum istis contrarietatem involvat. Cumque in eo nec derogatio expressa legatur, neque contrarietas ulla cum antedictis Privilegiis inspiciatur, hinc sine dubio sequitur, eamdem clausulam inefficacem prorsus esse pro hac prætensa Privilegiorum eversione inducenda, ut loquendo de prima propositione præter *auctoritates allegatas in secunda Decisione* §. *Hac autem*, do-

docet Rota deciſ.159. num.16., & ſeq. coram Carill., & deciſ.676. num.49. coram Molin., & deciſ.5. num.25. tit. de Benef., & deciſ.1. num.9. tit. de Reſcript. cor. Falconer. Et de ſecunda propoſitione agendo, ultra auctoritates referſtas *in prima Deciſione §. Atque*, *adeſt Text. non ad ea 88. ff. de condit., & demonſtrat., & leg. ubi repugnantia ff. de regul. jur. Rota deciſ 74. num.17., & deciſ.762., & deciſ.793. utrobique num.6. coram Cerro, & deciſ.727. n.15. cor. Lancetta.*

12 Eouqe magis ab his diſcedendum non eſſe putarunt *Domini*, quià mirificè roborantur à longæva, atque immota obſervantia, quæ Leges omnes fideliſſimè ſemper interpretatur, & explicat, juxta quam habetur, Regulares Univerſæ Diœceſis Vilnends obtentis Apoſtolicis Privilegiis, eos eximentes à ſolutione Quartæ, de qua quæritur, illam nunquam ſolviſſe, neque ante, neque poſt Paſtoralem Epiſtolam, Synodum Diœceſanaam, iſtiuſve Apoſtolicam Confirmationem, prout irrefragabile Teſtimonium perhibent Magiſtratus, omneſque Ordines Magni Ducatus Lithuaniæ, quibus tum ratione numeri, tùm muneris, & Dignitatis maximoperè deferendum eſt, licèt formiter non ſint repetiti. Idque urgentius quià Teſtes per Parochos allati auſi non ſunt de ſolutione hac Teſtimonium ferre, *ad Text. in Can. Hominis verſ. credidimus diſtinct.97., Rota coram Merlin. deciſ.714. num.16., & ſeq., & deciſ. 18. num 19. coram Emerix Jun., & deciſ.155. n.5. part 6., & dec.460. n.13. part. 18. tom.2. rec.*

13 Quin obſervantiæ huic obicem ullum præſtet, vel *Clauſula ſublata*, *& Decretum irritans*, in Brevi Urbano adiectæ, vel Lites diverſis temporibus inſtructæ à Parochis contra Regulares pro ſolutione hac obtinenda. Quandoquidem prima objectionis pars, quatenus deduceretur, tunc ſolùm urgeret, quoties Paſtoralis Epiſtolæ, Conſtitutionum Synodalium, aut Brevis confirmatorii, clara, & incavillabilis Litera præſcriberet id, quod poſt nodùm contra obſervatum fuiſſet. Secus tamen quandò, prout hìc, obſervantia non ſolutionis conſentanea eſt omnibus ſupradictis monumentis; Itidemque altera pars objectionis æque ſtatim rueret. Nam quamvis ſub annos 1705., & 1717. judicialiter Parochi petierint Quartam Funeralem à Regularibus, attamen forſan de eorum malo Jure edocti inſtructas lites penitus deſeruerunt, atque acquieverunt. Adeoque tantùm abeſt, quod obſervantia prædicta ex inſtructis Litibus interverſa dici valeat: quinimò cum ſucceſſivè Parochi ſiluerint, & reſpectivè Regulares continuaverint in eorum vetuſta poſſeſſione non ſolvendi, majorem proinde vim, atque robur obſervantia præfata conquiſivit, prout ſolidè firmat *ſecunda Deciſio §. Minimè*.

Et ita relatione habita ad præcedentes Deciſiones reſolutum fuit unica &c.

Romæ, Typis Rev. Cam. Apoſt. 1751)(*Superiorum Permiſſu*.

Druki sejmikowe
dotyczące dziejów
różnych województw polskich

20.000